Solſtitium Britannicum:

Seu

Majeſtati Reduci Apodecticon.

Diva Triumphali ſolio ſubvecta Tonantis,
Gentibus æternam validis largita ſalutem
Aurea [1] *MAJESTAS*; dubii Cunabula Cœli,
Relliquiaſq; [2] *Chaos* ſerie pacaliter urgens
Succubuâ, Meriti penſatrix prima ſuperni:
(Sic Sola Sideribus ceſſerunt, Sidera Phœbo,
Sic ſua diſpoſito creverunt Nomina Mundo)
Charior, aſſeſſuque *Jovi* contermina, poſtquam
Vana Gigantæo trepidavit *Phlegra* tumultu!
Ante tuos ubicunque Pedes, Vultuſque colendos
Sarta lacunoſam reſipit *Diſcordia* pallam,
Flammeolo & minimam velans *Audacia* Frontem,
Illaque Plebeium *Paritas* incondita Numen
Se ſternunt humiles; nodo parat ipſa jugali
Fracta catenatum præbere *Rebellio* collum.
Tu quoque luſtralem tecum deducis Olympum
In terram; flammas ſpargit trabeata rubentes
Purpura, ſubſtillatq; aſpergine Nectaris Aër.
Hinc [3] *Aſtræa* redux, latus illinc ægide claudit
[3] *Pallas*; *Acidalia* miſti circùm undique [4] Turbæ,
Fulminei *Cyclopes* eunt; obiterque ſalutas
Alta [5] caſas, at Delubro ſiſtenda decenti,
Auguſtos patres, Sacrataq; pectora viſis.
Felices nimiùm, quas uſurpaverit Aulas
Planta tenax! nomen Fortunæ ibi labile firmas,
Et bellatricem Facies tua ſiderat haſtam:

Defloratus Honos ita Te repedante fatiſcit,
Te veniente viget. Sic conſtipata beaſti
Antiquam *Ninon*, & Belo *Babylona* ſuperbam,
Suſaque, & a *Pellâ*, magnæ Capitolia *Romæ*.
O! Quam nutantis ſequitur converſio Mundi
Reflua, Quæq; tuo populorum libera promis
Communes Genios *Solio*, aut premis; heic Tibi *Fa-*
Condita Parcali ſedes Adamante, perennet! *(num,*
Quid nobis te, Diva, litet? Si victima grata eſt,
En libaminibus Præcordia prona cruentis!
En Capita, en refugos nullius Cuſpidis artus!
Haud virtus Britonum ſic eſt effæta; nec unquam
Anglica tam vapidum torſit Bellona flagellum;
Quin cuperent animas pro *Majeſtate* paciſci.
Sin defæcati (propior qui cultus Olympo)
Cordis in Æde coli juvat, & vittata pudici
Senſa placent Animi; veſtris en volvitur Aris
Conſcia *Simplicitas* recti, ſanctæ inſcia Fraudis
Relligio; cicur, aç laxo frænabile loro
Ingenium, ſecura *Fides*, *Amor* acer; Amoris
Omina, *Vota*, *Preces*; hæc puræ Faſcina mentis
Præ Zoroaſtræis Cœlum flexura ſuſurris.
Nos licèt incubitu gelidi preſſere vapores,
Et [6] *Macmahoniis* agnatus moribus *Urſus*
Contingat propior; nec inhoſpita corda Britanni
(*DIVA*) Tibi, gerimuſve tuum calcantia Sceptrum.
Haud ſuperet *Perſis* Mithræ devota, [7] Cidarin
Quæ dicat erectam Regi, Populoq; reclinem:
Cùm plebi tantùm recitatus [8] Proditor imæ,
Infando teneras horrore perimbuit aures;
Proditor infamis, *Majeſtatiſq*; *Bidental.*

Scotia fatalem remoris hoſtilibus Iſthmon
Munitam Genioq; ſuo Ingenioq; ſuorum
Jactet, ubi oppoſitæ vicina [9] *Bodotria* [10] *Glotta*:
Complexas alis totum victricibus orbem
Cæſareas Aquilas hæc tandem meta repreſſit:
Heic ſtetit, & medio præpes victoria curſu
Demiſit pennas; ibi non ceſſure *Tonanti*
Termine, Romani figis pomœria mundi.
Hæc modò *Zythepſi* reſerata repagula diris,
Dum vafer expediens duplici ſua bella metallo,
Regifugum præfert animum, Rex ipſe futurus;
Bellonæ graſſantis obex, fit præda *Monetæ*.
Scilicet improbulis niſi gens incredula dictis,
Nobilitas meruit fatuâ cum *Plebe* flagellum:
Nil niſi *Libertas* jactatur, & uritur armis;
Cuncta licent præter Licitum, ſumus omnia *PICTI*,
Fœdera, Tutelam, Pietatem, Jura, Senatum:
Quiſq; ſtetit pro *Lege* Reus, pro *Rege* Rebellis.
Relligio maleſuada, furens *Ixionis* uxor
Centauros peperit, Sacrum Nubecula Fœdus:
Quod nulli ſervare datum eſt, niſi rumpere vellet;
Nam quis juſta Deo tribuit, qui Principe demit?
Nec niſi perdiderat, tenuiſſet Scottica Cæſar
Imperia, Exilio felix, ſalvuſq; Ruinâ;
Veſte latens Titan ipsâ defenditur umbrâ.
CAROLE nunc Arcton reduci cum Sole ſubactum
Proſper adire potes, ſteriles domiture rigores;
Alcides nunquam *Pede* menſurabilis ullo:
Sceptrorum radiis venerandus, & horridus armis,
I, Σκότον illuſtres, & luſtres Orcadis Orcum,
Sic eris Ἡλιάδαις: creperi Pythonia *paſti*

Spira cadens Pæana creet; Cœloq; ſoloq;
Dura Monarchomachus lentet tibi corda [11] Caledon,
Nec pungat *Flores* Borealis *Carduus* Anglos.
Stella Tuum (Soli ſurgenti Phoſphorus) auxit
Natalem ſplendore diem, ceu prævia *Chriſto*
Flamma Magos duxit; ſed tu prudentior illis,
Iſtâ lucidior, *Conſervatorq; ſecundus*,
Arte Sophis, pietate potens dominaberis Aſtris:
Cuncta reges præter Plauſus, & Vota Tuorum.
Indue traductam Fato, Meritoq; Coronam,
Perſtringat fulgore jubar Diadematis aurum,
Sidereaſq; faces diſcant contemnere gemmæ,
Pondus inocciduæ radiis vegetabile lucis.
Vendicat Ornati ſtipendia debita cultûs
(Sceptra coronato donans Tibi Fulgida) Cœlum,
Ut Templo ſumas per Te Florente Tiaram:
Cura Dei cui cura Deus; poſt incita Major,
Tu cœleſte probas Numen, terreſtre Triumphas.

Coronarium hoc *CAROLO* 2° Britanniarum & Galliarum Monarchæ, alludit ad initium Ovid. Faſt. l. 5. ſed ſtylo Statiano ſcribitur. 2 a τὸ χάος, non Chai in genitivo; contra G. Voſs. l. 2. Anal. c. 12. 3 אורים ותמים. 4 Agmen Amorum. Stat. 5 Ob Parentum Majeſtatem, Τοκέων σέβας. 6 *Macmahones* ſunt familia Ultonienſis, à ſanguine Gualteri Fitzurſi derivata, qui Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis cruore manus maculavit: Hibernicè ſignificat filii Urſini Cam. Hib. 7 Heſych. Voc. Τιάρη. 8 Hoc præconium exteri quoq; nobis concedunt. Eras. Not. ad Mim. Pub. 9 *Edinburgh frith* apud Tacit. ob profunditatem nominatur, a *Boddi* Cambrobritannicè mergere, quod a בדע. to *Dunbritton frith* apud Antonin. Itinerar. *Cluyd* olim appellata, quod Cymraicè rupes, unde nomen accepit Latinum. 11 A *Calch* Britannicè durum, quod a χαλκὸς.

H. B. 55906